



donec in primum punctum redeas, fiet quadrangulum, qualem planum etiam Cubus obtinet. Contrà Octaedro debebitur octaua, quae est dimidiæ fidis. Nam in circulo ductus ad dimidiæ, & ad idem punctum facit nil nisi lineam. Sic Dodecaedro debebitur prior imperfecta duplex. Nam ductus per quintas & per sextas circulifaciunt quia quangulum & sexangulum. Restabit igitur Icosaedro posterior imperfecta duplex, quia ductus per duas quintas repetiti usque in idem punctum faciunt tantum lineas, †. Sic & ductus per tres octauas, *. An malumus Octaedro quartam dare, quia is duodecies quartam circuli subtendit. Id quod nullum latus cubi facit? Sic relinquetur Cubo octaua harmonia perfectissima, ut ipse perfectissimum corpus est. Forsan & illud conuenientius est, relinquere Icosaedro priorem imperfectam propter sexangulum, quod basi triangulæ cognatum magis est, quam quinquangulæ: Dodecaedro verò dare diuisionem octonariam propter numerum cubicum 8, quia cubus dodecaedro inscriptilis. Hæc sanè in medio sita sint: donec causas quis reperierit.

Veniamus modò ad aspectus. Et quandoquidem modò ex fide circulum fecimus: facile est videre, quomodo tres perfectæ harmoniæ pulcherrimè cum tribus perfectis aspectibus comparari possint sc. cum \varnothing , \triangle , \square . Imperfecta verò prior B mollis ad unguem similis est sextili, cuius hæc nota, *, quemque debilissimum esse ferunt.

Habemus causam (qualem quidem Ptolemaeus non dedit) cur planetæ distantes uno aut quinque signis non censeantur in aspectu. Nam ut vidimus, nullam talem in vocibus agnoscit Natura concordiam. Cum enim in ceteris eadem sit ratio influentiæ & harmoniæ: credibile est & hic esse. Causa vtrinque procul dubio eadem est, & ex quinque corporibus: quam alijs quærendam relinquimus. Cum igitur omnes quatuor harmoniæ consonent suis aspectibus, & verò adhuc tres restent in Musica harmoniæ: suspicatus aliquando sum, non negligendum esse in iudicijs nativitatum, si Planetæ 72. aut 144. aut 135. gradibus distent, præsertim cum videam, vnam ex imperfectis habere suum aspectum. Quamvis cuilibet oculato Meteororum speculatori facile patebit, vtrum aliqua in his tribus rectdijs vis insit, cum ceteros aspectus aeris mu-